

434.

II 242.

**Berchtold Haller<sup>1)</sup> an Vadian.***Bern. 1525. October 5.*

Die Kämpfe gegen Papisten und Wiedertäufer. Der Vorschlag Vadians, die kirchlichen Streitigkeiten in einem allgemeinen Ratschlag beizulegen, wird von ihm als undurchführbar bezeichnet. Seine Unzufriedenheit mit dem Gang der Dinge in Bern.

Gratiam et pacem domini. Successum verbi sub manu tua Cristanus hic noster candide in diem prædicat, vir ipse nimirum christianus, quantum video, et pie eruditus, a quo vicissim res nostras ita, ut sunt, vere audies; quas cum unius Christi esse agnoscam, utcunque gerantur, improbare non audeo. Video, ut papistę fugitando glorias efflant inaneis et nescio quid vanę fiducię in principes et carneum suum brachium ponunt. Iudę enim præposterum suum quottidie præstolantur Messiam; et ut olim sua pertinaci incredulitate Christum velut hominem, fabri filium, minus potentem, minus sanctum, ut Messiam præstaret, refutabant, ita nunc papę malitia<sup>a)</sup> apud<sup>b)</sup> illos, etsi orbi cognita sit, tanta non est, ut eum Antichristum credant ipsissimum. Necdum res compositę sunt cum iis et negotium facere incipiunt Anabaptistę; quorum nova doctrina hactenus ecclesię Christi incognita notam non mediocrem inureret proserpens, ubi primę eruditionis viri (qualem et te tota fidelium apud<sup>b)</sup> Helvetios turma agnoscit) tam potenti gladio spiritus non oppugnarent. Attentat nimirum Sathan et periculum facit nunc imposturis et sectis, nunc sanguine fuso. Sed interim nobis nihil peribit, perditum etiam corpore, sicut brevi perdendi videmur, fortior est, qui in nobis est, quam qui in mundo. Vos certa manet salus, quantumvis Sathanę organum impia tyrannide infervescat. Potens est Christus, ut depositum nostrum servet in illum diem. Ceterum quod scribis, charissime Vadiane, nulla re magis Helvetiorum concordiam staturam in his, quę ad animarum salutem attinent, quam coitu celebri et synodo publica: sed cum nihil minus quam lucem adversarii pati possint, nihil minus sperandum arbitror, ut aliquando nos convenire sinant; quorum omnis opera et labor est, ut omnia perdant et invertant. Statutus erat mihi dies ante annum, ut coram senatu et plebe contra pedicatore[m] quendam mirum impostorem et dicaculum agerem. Sed id fieri non potuit, cum monachus se non habere disputandi facultatem a priore suo nec adesse competentes iudices assereret, favente procul dubio magistratu. Ita undique testantur se magis tenebras diligere

quam lucem. Facile iudicare potes, quam animati simus in evangelium Christi: qui cum edicto publico typis invulgato verbum domini pure et sincere<sup>c)</sup> prædicare non semel demandarint, interim tamen omnia pro libidine in contrarium statuunt, ut plebs nihil minus possit quam verbo audito obsequi. Hinc rerum omnium nihil immutatum est apud<sup>b)</sup> nos. Solo verbo e cordibus hominum omnia decidunt et spiritu oris sui dominus abominationem omnem in credentium pectoribus interficit, qui et pro nutu suo aliquando omnia secundabit. Periculum siquidem facio in omnibus, nunc opportune et cum magna modestia, nunc importune palam eos redarguens, ut iam dudum, quæ dominus prædixit, mihi comitarem. Ad interim sui similes semper manent, ut nisi dominus ipse suo spiritu et potentia (quod indies precamur et speramus) omnem impietatem eradicet, frustraneus sit omnis noster conatus. Proinde, mi frater, cum videam mundum principem suum totum referre, cum videam impiorum ferociam et perpetuos furores, cum palam sit multos e nobis proficisci, qui tamen ex nobis non sunt, adeoque omnia plena periculi, ut hoc solum cum Iosaphat rege residuum sit, oculos nostros in dominum defigere: te quoque admoneo, ut aliquando preces pro nobis ad dominum effundas, quatenus nos suo spiritu dignetur, ne quid unquam attentemus christiano indignum. Postremo quam nunc ultimo tragediam Sathan mihi moverit, a Christanno audies. Interim meas ineptias boni consulas. Vale et salve semper! Bernę, 5. Octobris anno XXV.

Tuus *Bertoldus Hallerus.*

Præstantissimo viro Ioachimo Wadiano, apud Gallum — *seg*  
a consulibus, domino et fratri suo cum primis observando.

a) „c“ für „t“. — b) „aput“. — c) Erstes „e“ geschwänzt.

1) Von Berchtold Haller, dem bernischen Reformator, sind 28 Briefe an Vadian — aus den Jahren 1525—1536 — in unserer Sammlung.